

USUS E VERSU X.

(1) Schola Spiritus Sancti est optima, quippe qui docet & forinsecus & intrinsecus; cum è diverso Ratio & caro nostra suppeditet prava remedia, concitet ad impatientiam, &c.

(2) Doctrina & Doctore huic tradamur toti. Joh. XIV, 17. XV, 26. I. Cor. XII, 3.

(3) Voluntas propria absorberi debet tota à divinâ: Psalm. CXLV, 19. Luc. XI, 2. Matth. XXVI, 39. 42. VIII, 2. Joh. V, 30. VI, 38. Neque sufficit, voluntatem scire; opus est & facere: Matth. VII, 21.

(4) Deum esse nostrum, summa dignitatis, beatitudinis obligationisque vox est. Dicit hoc rectè nequit absque Fide.

(5) Spiritus Dei bonus est essentialiter, & effectivè, &c.: Matth. XIX, 17. 2. Par. XX, 12.

(6) Ducit nos operando & velle & perficere: Phil. II, 12. 13.

[7] Ducit per viam terramq; rectitudinis, quando & consilia suggerit salutaria, & motus bonos, & successus etiam largitur evadendi omnes errores ac pericula, alioqui vix superabilia.

A

USUS E VERSU XI.

(1) Solum solius Dei nomen, non fama propria, intendi debet in cunctis nostris negotiis ac supplicationibus.

[2] Deus est, qui vitam dat, conservat, beatam reddit, &c.: Huic vivamus, huic moriamur: Rom. XIV, 7. 8.

(3) De Justitiâ Dei dictum v. 1.

(4) Angustia nostra sunt multiplices, graves, insuperabiles.

(5) Educimur inde solâ Dei manu benignâ, forti, &c.

USUS E VERSU XII.

(1) De imprecatione adversus hostes v. L. de Orat.

(2) Hostes sunt vel convertibiles, ut Saulus, vel insanabiles, ut Judas, rex Saulus, &c.

(3) Extirpantur vel plagis corporalibus, vel simul æternis.

[4] Nos Dei servos esse, recordemur ubivis, ut dignè Domino ambulemus, Domino nos totos committamus, &c. conf. Jes. XXXVIII, 3. I. Joh. III, 21. Servi autem sumus denuò facti per Servum unicum electum, Jes. LIII, 1.

PSALMI CXLIV. DISPOSITIO.

Bellator Dominus. Me vindices ab hypocritis.

Habetur hîc I. Dei commendatio: benedictus est Deus (1) petra mea: (2) informator meus bellicus vers. I. (3) gratia mea: (4) perfugium meum: (5) ereptor meus: (6) clypeus meus, in quo confidere possum: (7) subjugator populi mei: v. 2.

II. Hominum extenuatio: (1) quid est homo, quod eundem attendis atque curas? v. 3. (2) similis est ipsi vanitati seu vapor: (3) dies ejus velut umbra fugiens: v. 4.

III. Dei invocatio: (1) inclina cælos, (2) descende. (3) tange montes, ut fumigent. v. 5. (4) fulgurando dissipa ipsos. (5) sagittis tuis emissis conturba ipsos. v. 6. (6) extensa manu tua eripe me ex aquis multis, h. e. è manu extra-

neorum, v. 7. quorum (a) os loquitur vana; & (b) dextra fallax. v. 8.

IV. Promissâ gratitudo: (1) canam tibi canticum novum. (2) psallam tibi nabliô & decachordo. v. 9. (3) ratio: (a) das salutem regibus: (b) liberas servum tuum Davidem à gladiô infauisto. v. 10.

V. Precatio repetita, quæ adfuit: v. 7. (1) eripe me à manu extraneorum: qui describuntur (a) à vaniloquio oris, (b) à dextra fallace: v. II. (c) à prosperitate familiæ filiorum & filiarum, v. 12. penuariorum, v. 13. gregum, v. 13. 14. absque omni infortunio, v. 14. (d) à communi vulgi elogio: quod tamen emendatur: felix populus, cujus Deus est Jehova. v. 15.

PSALMUS CXLIV.

EXPLICATIO VERSUS I.

לָרוּר Davidis: scilicet carmen. In LXX. Vulgatô, Æthiopicô, Arabe habetur: Psalmus Davidis adversus Goliath. quod à LXX. additum ait Hilarius, Theodoretus vero negat. De liberatione ab Absalomô & Sebâ, R. Obadia. Syrus ita scribit: cum interfecit Assaph fratrem Goliath: & gratiarum actio, qui victoriam consecutus est. Verum meræ sunt hæc hominum conjecturæ.

בְּרוּךְ benedictus: cui videlicet omnis honor ac celebratio unice verèque competit, & cui meritò tam à me, quam aliis creaturis, ore atque anima exsolvitur. Vid Psalm. CVI, 48. CXVIII, 26. CXIX, 12. CXXIV, 6. CXXXV, 21.

צִיֵּרִי rupes mea: h. e. refugium meum: defensor protectorque meus potentissimus, in quo tanquam in petra inaccessa, securus delitescit adversus omnes adversariorum meorum furores ac tumultus: vide eundem hunc titulum Deo tributum Psal. XVIII, 3. 47. XIX, 15. XXVIII, 1. LXII, 3. 7. XCII, 16. Campens. qui robur tribuit mihi.

C LXX. & Vulgatus habent: Deus meus. Moguntina: mein Gott. At commodius Chaldaeus: הַקָּמִיִּי fortitudo mea.

הַמְלִיִּי qui informat: uti proximè prædicabatur beneficium defensionis, ita nunc & offensionis vel debellationis, quo David omnes suos successus prosperos, omnemque suam victoriam inque hostibus subjugandis felicitatem, unice à Deo proficisci sincere profitetur. ipsa autem hac Informatione non nuda instructio exterior innuitur, qualem v. g. miles habet à duce bellicô, aut tyro à pugile exercitatô, ad arma decenter tractanda, verum gubernatio simul interna, tum mentis, tum membrorum, ita ut quotidie Deus suggerat salubria, oppugnandi hostes consilia, ut membris indat vires, eademque insensibiliter regat, atque adeo habitum animosè belligerandi ipsis conciliet. vide Psalm. XVIII, 35. הַמְלִיִּי לְמַרְחָמָה qui informat manus meas ad bellum: Psal. LXXI, 17. הַמְלִיִּי לְמַרְחָמָה à juventute mea; Psal. XCIV, 10. הַמְלִיִּי לְמַרְחָמָה scientiam.

Non